OFFICIVM S. THOMAE DE VILLANOVA

Ex Ord. Eremit. S. Augustini

ARCHIEPISCOPI VALENTINI


Cognomento

ELEEMOSYNARI

A Sac. Rituum Cong. approbatum,

Et eidem Ordini vnà cum Octaua concessum.





ROMAE,
Ex Typographia Reu. Cam. Apost. M.DC.LXII.

Die xviij. Septembris.

IN FESTO
S. THOMAE
DE VILLANOVA
CONF. PONTIFICIS
DVPLEX S. C.

In primis Vesperis.

Antiph. Ab Vtero Matris cum Beato Thoma egressa est miseratio, & creuit cum illo ad splendores Sanctorum. Psal. Dixit, &c.

Antiph. Memoriam fecit mirabiliū Domini, seruus fidelis, & prudens, escam dedit timentibus eum. Psal. Confitebor, &c.

Antiph. Misertus est, & cōmodauit: dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi. Psal. Beatus vir, &c.

Antiph. Suscitauit à miserijs inopes, & de puluere erexit pauperes Psal. Laudate pueri, &c.

Antiph. Confirmata est super egenos misericordia eius, & nomen eius manet in æternum. Psal. Laudate Dominum omnes, &c.

Capitulum. *Tob.* 12.

Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna magis, quàm thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam.

℟. Deo gratias.

Hymnus.

ISte confessor Dñi colentes,
Quem piè laudant populi per Orbem,
Hac die lætus meruit supremos
Laudis honores.

Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobriam duxit sinè labe vitam,
Donec humanos animauit auræ
Spiritus arctus.

Cuius ob prestans meritum frequenter,
Aegra quæ passim iacuere membra,
Viribus morbi domitis, saluti
Restituuntur.

Noster hinc illi Chorus obsequentem
Concinit laudem, celebresquè palmas,
Vt pijs eius precibus iuuemur
Omne per æuum.

Sit salus illi, Decus, atquè virtus,
Qui super cœli solio coruscans,
Totius Mundi seriem gubernat
Trinus & Vnus.
℟. Amen.

℣. Ora pro nobis B. Thoma.
℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnificat.

Antiph. Filius accrescens Thomas: ceruus emissus, dans eloquia pulchritudinis, pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus. *Gen.* 49.

Oremus.

DEus, qui B. Thomam Pontificem insigni in pauperes misericordiæ virtute decorasti; quæsumus, vt eius intercessione in omnes, qui te deprecantur, diuitias misericordiæ tuæ benignus effundas. Per Dominum, &c.

Ad Matutinum. Inuitatorium.

Sacerdotem in æternum Christum Dominum, qui Thomam Presulibus posuit in exemplum, Venite adoremus. Psalm. Venite, &c.

Hym-

Hymnus.
Iste confessor, &c. vt supra in Vesperis.

In primo Nocturno.

Antiph. Tanquam lignum, quod plantatum est secùs decursus aquarũ, fructum suũ dedit in tempore suo. Psal. Beatus vir, &c.

Antiph. Prædicans Pręceptum Domini, tanquam vasa figuli confregit vincula peccatorum. Psal. Quare fremuerunt, &c.

Antiph. Suscepisti eum Domine in Monte sancto, vt esset super Populum tuum benedictio tua. Psal. Domine quid multiplicati sunt, &c.

℣. Amauit eum, &c.
℟. Stolam gloriæ, &c.

Lectio j.

De Epistola prima B. Pauli Apostoli ad Timotheum.

Cap. 3.

OPortet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius Vxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum non cupidum; sed suæ domui benè prępositum: filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodò Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiã cum impositione manuum presbyterij. Tu autem, &c.

℟. Thesaurizate vobis thesauros in cœlo; Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. ℣. Beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci. Vbi enim, &c.

Lectio ij. *Cap. 6.*

EST autem quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium, nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his cõtenti simus.

Nam, qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix omnium malorum est cupiditas: quam quidã appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem Domine, &c.

℞. Audi præcepta Domini, & ea in corde, quasi in libro scribe: Peccata tua eleemosynis redime.

℣. Quia Deus misericordiam vult, & non sacrificium. Peccata, &c.

Lectio iij. *Cap.6.*

TV autem, ò homo Dei, hæc fuge, sectare verò iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei, appræhende vitam æternam, in qua vocatus es, & confessus bonam confessionem coram multis testibus. Diuitibus huius sæculi præcipe non sublimè sapere, nequè sperare in incerto diuitiarum; Sed in Deo viuo, qui præstat vobis omnia abũdè ad fruendum, benè agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentũ bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. Tu autem, &c.

℞. Abscondite eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa orabit prò vobis ad Dominum: Quia sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatũ.

℣. Date eleemosynam, & ecce omnia mũda sunt vobis. Quia sicut, &c. Gloria Patri, &c. Quia sicut, &c.

In secundo Nocturno.

Antiph. Magnificauit Dominus sanctum suum, per quem ostendit nobis bona. Psal. Cum inuocarem, &c.

Antiph. Beatus iste sanctus qui in multitudine misericordiæ suæ introiuit in Domum Domini. Psal. Verba mea, &c.

Antiph. Minorasti eũ paulo minus ab Angelis, glo-

ria, & honore coronasti eum. Psal. Domine Dominus noster, &c.
℣. Elegit eũ Dominus, &c.
℟. Ad sacrificandum ei, &c.

Lectio jv.

SAnctissimus, Deoquè maximè dilectus Sacerdos Thomas ortum habuit in Castro Fontis plani, Diœcesis Toletanæ ex honestis catholicisq; parentibus Thoma Garzia, & Lucia Martinez Castellana, adeò charitati deditis, vt nunquam à se vacuo sinu egenum abire permiserint. Hinc puer, veluti ingenito quodam pietatis, & misericordiæ sensu visus antea se Deo dicare, quàm Deum posset per ætatem cognoscere. Ientaculum suum, cum gymnasium peteret, esurientibus partiri cõsueuerat: inde cum rediret, pauperum vt tegeret nuditatem, suis se indumentis exuere, & matrẽ enixè precari, vt quotidianis eleemosynis prandium suum adijcere sibi liceret, spondens se ea die minimè comesturum. Pio nempè ieiunio satur mentẽ diuina esurientem cęlestibus dapibus recreabat. Tu autem, &c.
℟. Indicabo tibi, ó homo, quid sit bonum: Deus requirit à te facere iudicium, & diligere misericordiam.
℣. Qui ergò misericordiam à Deo petis, Misericordiã pauperi exhibeas. Deus requirit, &c.

Lectio v.

AD Xenodochium reficiendis languentibus oua recẽtiora partitabat, ipsosquè etiam sublatos Gallinæ pullos, si quãdo mater solitam eleemosynam nõ præparasset, pauperibus distribuebat. Messoribus prȩfectus, non illorum solum, sed & sibi destinatũ cibum, colligentibus spicas partiebatur; semper tamen parentum imperio æquè subditus, quam charitas in Deum laudabiliter suaderet. Cõcupiscentiam carnis, valido sanctitatis rigore calcauit; corpusculum suum in seruitutem redigens cilicio, & flagellis.

Adeò exinde modestus, vt defigeret semper in terram oculos; adeòquè castus, & pudicus, vt virgo permanserit ad extremum vsque spiritum, Et verbum nunquam protulerit, quod puritatem cordis non redoleret. Tu autem, &c.

℟. Solem suum Dominus oriri facit super bonos & malos, qui fecerit misericordiam, amen dico vobis: Nõ perdet mercedem suã.
℣. Quia scriptum est quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Non perdet, &c.

Lectio vj.

Vix quarto ætatis lustro expleto, missus ad Sancti Ildephonsi Collegium Complutense, in disciplinis ibidem, & facultatibus, omniquè virtutum genere Doctores ipsos facilè superauit, Quare cathedram statim ascendere iussus, Logicas, & Theologicas deinde quæstiones explanauit. Iam verò in Palestra Christiana satis edoctus, atquè Euangelici memor effati: qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus: audito patris obitu, Cathedræ ornamentis, commodisquè se mox abdicauit, & patrimonium integrum virginibus dedit. Inclinauit interim aurem suam, vt audiret loquentem in se Dominum, & dicentem: obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Vnde ne sæcularium strepitu curarũ à perfecta cum Deo vnione distraheretur, Ordini Eremitarũ S. Augustini, solemni votorũ professione nomen dicauit in Conuentu Salmãticensi exactis per annũ mira vitæ austeritate Religionis rudimentis. Tu autem, &c.

℟. Surrexit filius sensatus, eruditus in iuuentute sua, dilectus in pace sua. Verbum ipsius quasi facula ardebat.
℣. In eo completus est spiritus Patris. Verbum ipsius, &c. Gloria Patri, &c. Verbum ipsius, &c.

In tertio Nocturno.

Antiph. Qui pecuniã suam hã dedit Domino ad vsurã, habitat in Tabernaculo eius. Psal. Domine quis habitabit, &c.

Antiph. Posuit dorsum suum pro peccatoribus, & præuenit eos Dominus in benedictionibus dulcedinis. Psal. Domine in Virtute, &c.

Antiph. Innocens manibus & mundo corde ascendit in montem Domini. *Psal.* Domini est terra, &c.

℣. Tu es Sacerdos, &c.

℟. Secundũ ordinem, &c.

Lectio vij.

Lectio S. Euangelij secundum Lucam. *Cap.* 12.

IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Et reliqua.

Homilia Sancti Thomæ Episcopi

Conc. 2. de S. Martino.

QVàm validum aduersus peccata remedium, quàm efficax & salubris peccatorum nostrorum medicina, Eleemosyna sit, pluribus scripturæ testimonijs roborabimus. Et quidem nunquam Deo tàm gratam eleemosynam nostrarum paruitatum existimassem, nisi hoc me sacrarum Scripturarũ lectio docuisset. In Ecclesiastico legimus: ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. In Apostolorum Principe: Charitas operit multitudinem peccatorũ. Et quoties Dominus in Euangelio repetit: misericordiam volo, & non sacrificium? & Paulus ad Hebræos: Beneficentiæ, & cõmunionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus. Tu autem, &c.

℟. Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosquè induc in domũ tuam: tunc erumpet quasi mane lumen tuum, Et anteibit faciem tuam iustitia tua.

℣. Cum videris nudũ, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Et anteibit faciem, &c.

Lectio viij.

SVper omnia me mouet, cũ Dominus aduersus Pharisæos, & Scribas gentẽ pestiferã & subdolam diutiùs inuectus proclamasset: Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ, qui clauditis Regnum Cælorum. Væ vobis hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, orationes longas orantes. Væ vobis, qui decimatis mentam, & anetum. Væ vobis, qui similes estis sepulchris dealbatis. Post tam acrem repræhensionẽ, & terribilem inuectiuam, quis huiusmodi hominibus damnatissimis vllum salutis locum relictum esse putaret? his tamen perditissimis post omnia consilium prębet. Veruntamen, inquit quod superest, quod vobis reliquum est, vnicum & salutare remedium: date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. Nequè hoc illis reliquum esse flagitiorum remedium, ideò Dominus dicit quasi alia peccatorum remedia non sint, sed quia teneri & delicati se ipsos nimis amantes acerbiora remedia non capesserent. Tu autem, &c.

℟. Sapientia & disciplina timor Domini. Et quod beneplacitum est illi fides & mansuetudo: Et adimplebit thesauros illius.

℣. Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra: Et adimplebit, &c. Gloria Patri, &c. Et adimplebit, &c.

Lectio ix. nisi venerit in Dominica.

VNde & nos diuitibus nostri temporis hoc ipsum dicere non incongruè possumus; qui cum ad omne opus asperitatis, & pœnitentiæ, ad omnem orationem, deuotionem & compunctionẽ, ad omnem humilitatem, inediam & vigilias ineptissimi sint, & bonis huius sæculi lautissimè perfruãtur, nisi ad eleemosynæ præsidium sapienter refugiant, præclusa eis videtur omnis alia via salutis. Si enim aduersus peccata eleemosyna non vale-

ret,

ret, inutile consilium videretur remittere ad eleemosynas, quæ tàm vrgenti necessitati remedium non præberent: Peccata tua, inquit, consultus Propheta sanctus, eleemosynis redime. Sunt enim peccata venalia, & pauperes venditores, quibus pœnarum fisci sui Deus gratiam fecit, & iniurias suas alijs vendere permisit, vt inde pascantur. Sicut de Sacerdotibus etiam scriptum est: peccata populi mei comedent. Tu autem, &c. Te Deum laudamus, &c.

Ad Laudes, & per horas.

Antiph. Amplificatus est in mirabilibus suis, in omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria. *Eccl.* 48. 49.

Psal. Dominus regnauit. cum reliquis.

Antiph. Natus est homo Princeps Fratrum, firmamentũ gentis, stabilimentum populi. *Eccl.* 49.

Antiph. Lætetur anima vestra in misericordia eius, & non confundemini in laude ipsius. *Eccl.* 51.

Antiph. Effudit in fundamento Altaris odorem diuinum, oblatio Domini in manu ipsius. *Eccl.* 50.

Antiph. Ornauit tempora vsquè ad consumationem vitæ, vt laudaretur nomen sanctum Domini. *Eccl.* 47.

Capitulum.

Bona est oratio, &c. vt in Vesperis.

Hymnus.

IESV Redemptor omniũ
Perpes corona Præsulũ,
In hac die clementius
Indulgeas precantibus
Tui sacri qua nominis
Cõfessor almus claruit;
Huius celebrat annua
Deuota plebs solemnia.
Qui ritè mundi gaudia
Huius caduca respuens,
Aeternitatis præmio
Potitur inter Angelos
Huius benignus annue
Nobis sequi vestigia:
Huius precatu seruulis
Dimitte noxã criminis.
Sit Christe Rex pijssime
Tibi, Patriquè Gloria,
Cum Spiritu Paraclito
Nunc, & per omne sæculum. Amen.

℣. Ora pro nobis B. Thoma ℟. Vt digni, &c.

Ad Benedictus.

Antiph. Thomas amantissimus Domini, habitabit cõfidenter in eo, immolabit victimas iustitiæ, benedictus in filijs, placens in fratribus, vidit principatum suum in parte sua Doctor repositus. *Deuter. 33.*

Oremus.

Deus, qui B. Thomam Pontificem, &c. vt in Vesperis.

Ad tertiam. Antiph. Natus est, &c.

Capit. Bona est oratio, &c.

℟. Breue. Amauit eum Dominus, & ornauit eum. Amauit. ℣. Stolam gloriæ induit eum, & ornauit. Gloria. Amauit. ℣. Elegit eum Dominus Sacerdotem sibi. ℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Ad sextam. Aña. Lætetur anima, &c. *Isa. 58.*

Capit. Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam; cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Deo gratias.

℟. Breue Elegit eum Dominus Sacerdotem sibi. Elegit. ℣. Ad sacrificandũ ei hostiam laudis. Sacerdotem. Gloria. Elegit. ℣. Tu es Sacerdos in æternum. ℟. Secundum ordinem Melchisedech.

Ad Nonam. Aña. Ornauit, &c. *Eccl. 29.*

Capit. Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo, & qui præualet manu, mandata seruat. Deo gratias. ℟. Breue. Tu es Sacerdos in æternum. Tu es. ℣. Secundũ ordinem Melchisedech. In æternum. Gloria. Tu es. ℣. Iustum deduxit Dominus per vias rectas. ℟. Et ostendit illi Regnum Dei.

In secundis Vesperis. omnia vt in primis. & loco vltimi Psal. Memento Domine Dauid.

Ad Magnificat.

Aña. De benedictione Domini terra eius: de pomis fructuum Solis, & Lunę: De vertice antiquorũ montiũ, de pomis collium æternorũ benedictio illius. *Deut. 33.*

Pro

Pro Sanctis Martyribus

Ant. Istorum est, &c. ℣. Lætamini in Domino, &c.

℟. Et gloriamini, &c.

Oremus.

Deus, qui nos annua Sanctorum Martyrũ tuorum, Ianuarij, & Sociorum eius, solemnitate lætificas: concede propitius, vt quorum gaudemus meritis, accēdamur exemplis. Per Dominum, &c.

Die 19. 20. & 21. Officium de occurrente, & commemoratio de Octaua S. Thomæ, vt supra in Laudibus, & secundis Vesperis.

Die 22. infra octauam Sancti Thomæ.

Lectiones primi Nocturni de feria occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Aemulabatur porrò Thomas charismata meliora, primus in chorum ingredi, nouissimus egredi: in meditationibus assiduus; in abstinētia exactissimus: In humilitate sublimis, in paupertate ditissimus: in obedientia integerrimus: in castitate perpetuus: ita deniquè totus suus, & totus omnium; vt neque communitas eum à custodia sui, neque proprietas ab vtilitate proximi detineret. *Hinc* eam breui Religionis metam attigit, vt vix biennio post Votorũ emissionem elapso Conuentus Salmaticensis Prior fuerit renunciatus. Ad alia deindè munera honoratiora gradatim omnia admotus, tàm egregijs vitæ & morũ exemplis præiuit, vt Regularis disciplinæ integritatem summo fructu propagarit. Tu autem, &c. ℟. In dicabo tibi, &c.

Lectio v.

Inter hæc iussus talentũ sibi à Domino concreditum, vt sapientissimus dispensator, in communem vtilitatem conuertere; In Cōuentu Salmaticensi Magistrum sententiarũ, & Religiosis sui Ordinis & exteris exposuit, tanto cum discipulorum profectu, vt dum Prioris Prouincialis officio postea fungeretur, plu-

plures ex illis, iuxta normam Apoſtolicam planè formatos, dignoſquè inuenerit, quos velut Angelos veloces ad Infideles Chriſtiana Religione imbuendos tranſmitteret in Americam. Fauit Clementiſſimus Dominus, qui non ſine magno Chriſtianæ Reipublicæ emolumēto, tam pios conatus fęliciſſimo euentu comprobare dignatus eſt. Dum vero in iſtis verſatur, ſpiritus Domini miſit, & ipſum pauperibus euangelizare. Tu autem, &c.

℟. Solem ſuum, &c.

Lectio vj.

EX Cathedra porrò ad ſuggeſtum per obedientiam trāſlatus, potens in opere, & ſermone, cunctorū rexit affectus, actuſquè direxit: Singulorum correxit exceſſus; honeſtauit mores, vitamquè compoſuit. Vnde viſus eſt populo tuba vitæ, & vox cœlorum; vas quoquè electionis, vt portaret nomen Ieſu coram Regibus, & Principibus. Ea propter Carolus Quintus Imperator Thomam ſibi à Concionibus eſſe iuſſit, eique Epiſcopatū Granatenſem ſpontè offerri; ſed quē Thomas generosè repudiauit, gaudens abiectus eſſe in domo Dei ſui. Non potuit tamen Valentinum declinare; quod eodem Imperatore eiuſq: filio Philippo Secundo Hiſpaniarum Rege petentibus, à ſuo Superiore adigeretur. Inuitus ergo & lachrymans cellam deſeruit, faſtuquè ſolemnis ingreſſus vitato, gregalis Religioſi habitu indutus, pedes vnà cū Socio ad Eccleſiam Cathedralem perrexit. Ab hoc exorſus humilitatis fundamento, vt Præſulis officiū, quò profundius ſtabiliret, eò ſolidius, & ſublimiùs eueheret. Tu autem, &c.

℟. Surrexit filius, &c.

In tertio Nocturno.

Lectio vij.

Lectio S. Euangelij ſecundum Lucam. Cap. 12.

IN illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: vēdite

quæ

quę possidetis, & date eleemosynam: Et reliqua.

Homilia S. Thomę Episcopi. *Conc. 2. de S. Martino.*

VErè Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem, saltem super se ipsum vt inopiā, & paupertatem suam in tempore necessitatis suppleat, & in die mala liberet eū Dominus. Sed vtiliter ad propositum intelligentia opus est. Intellige ergo super egenum quid, cui, quantū, propter quid, & quomodo tribuis. Volo primò, vt intelligas, quid des: numquid vitam, numquid animā, numquid te ipsum & omnia tua? Si reliquijs domus tuæ Christi pauperes alis, quid multum pro Deo facis, si reliquias ei reddis, qui tibi omnia dedit? Super hoc Dominum audi in Euangelio: Si iniquo Mammonæ fideles non fuistis, quod verum est, quis credet Vobis? Etsi in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? Si alienæ substantię largus dispensator existis, quid multum facis? Tu autem, &c. ℟. Frange ęsurienti, &c.

Lectio viij.

NOlo tamen putes eleemosynam sola pecunia, & exterioribus munusculis æstimari. Quid est eleemosyna, nisi subuentio pauperis propter Deum? Anima plus est, quàm corpus; & animæ necessitas, quàm corporis maior est: Et vbi maior indigentia, ibi potior eleemosyna. Si subuenire corpori perituro eleemosyna videatur; quanto potiùs animo ęternum victuro, nè pereat? corripe fratrem, obsecra, increpa, argue, admone, adiuua, cohibe à peccato quantum potes: consule, doce, carpe, vt à peccatis resurgat; & optimā coram Deo eleemosynam tribuisti: Non putent pauperes quòd bono eleemosynę priuati sunt; possunt, & ipsi si volunt pretiosas & pręclaras Deo eleemosynas facere; opera enim misericordiæ spiritualia coram Deo

Deo potiora sunt. Tu autem,&c. ℟. Sapientia,&c.

De SS. Martyribus Mauritio, & Socijs. Lectio ix.

CVm Maximianus Imperator, ducto in Galliam exercitu, in finibus Sedunorum sacrificij causa constitisset, Thebæorum legio, ne se impiorum sacrorum Societate cōtaminaret, à reliquis copijs discessit. Quare Imperator misit ad eos milites, qui suo nomine nunciarent, vt si salui esse vellent, in castra ad sacrificia redirent. Qui se christiana Religione impediri, responderunt. Quorum responsum ille indignissimè ferēs, maiori iracundia, quàm anteà, exarsit. Itaquè immissa parte Exercitus in Thebæos, decimum quemquè eorum primum occidi iussit, [illegible] martyrium sua spont[illegible] ximèquè hortator[illegible] ritio, ferre maluerunt, quam imperata facere nefarij Imperatoris: ac deindè reliquos omnes, constantissimè Christum prædicantes, x.Kal.Oct. ab vniuerso exercitu trucidari imperat. Tu autem,&c. Te Deum,&c. In laudibus fit com. de SS.

Die 23. Officium fit de occurrente cum commemoratiō S. Thomæ.

Die 24. infra octauam.

In primo Nocturno Lectiones de scriptura currente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

IN illo Cathedrę Archiepiscopalis fastigio bonus Pastor Thomas animā suam posuit pro ouibus suis: Et licet gladius persecutoris eum non abstulerit, martyrij tamen palmam non amisit: Ecclesiasticā enim disciplinam, & laicorum mores coacta Synodo Protam[illegible]ali, multis affectus indo, o[illegible]nstaurauit. Pluri[illegible] sangui[illegible] melioris vitæ semi[illegible] [illegible]ortando, ieiunan[illegible] [illegible], proprium etiá [illegible] iteratis flagel[illegible]s fundendo, reuocauit. Inuictum animum in tuendis Ecclesiæ iuribus,& auctoritate, probauit, paratus quæuis pati supplicia,

&

& gloriosam potius mortem, quàm odibilem vitam amplecti. Qua eximia charitate, quidquid infirmum erat, consolidauit; quod ægrotũ, sanauit: quod confractum, alligauit: quod abiectum, reduxit. Tu autem, &c.

℟. Indicabo, &c.

Lectio v.

QVos autem obsecrando, & arguendo, corrigere nonpoterat, verberibus emendauit; quę sibi ipsi corã illis tàm acriter, tàmquè diù inflixit, donec qui meruerant, ad pœnitentiam compellerentur. Sic igitur semetipsum pro suis offerens holocaustum, in labore, & ærumnis, in vigilijs & ieiunijs, arguens obsecrans, increpãs in omni patientia, & doctrina, omnibus omnia factus est; vt omnes lucrifaceret. Vnde vnà omniũ voce, alter veluti Paulus, diuinus intellectus, Spiritus sancti organum, diuinique amoris cereus proclamabatur. Adeò nimirum Dei amore flagrabat, vt passim dicere soleret, sibi propemodum tolerabilius videri, se in infernum dimitti, quàm Deũ non diligere: Et præ ignibus & tormentis illud vnum expauescere, quod, qui cruciantur in inferno, Deum oderunt. Tu autem, &c.

℟. Solem suum, &c.

Lectio vj.

ERga pauperes quidem admirabili semper studio se flagrare, sed maximè Pontifex, ostendit. Illis vt largius subueniret, laceras ipse induebat vestes, quas proprijs manibus sarciebat. Cubiculum incolebat storeis vestitũ; Lectum sternebat sarmentis. Mendicos sæpè cõuiuas habuit ex eadem sua patina: ipse verò adeò parcè comedebat, vt licet senio & infirmitate confectus, non nisi vnico, eoquè modico ferculo mensam instrui permiserit; iniquum dicens, vt seruus pinguiori cibo, quã Domini sui pauperes, vesceretur. E cubili lintea, ex

ex humeris pallium, & è corpore indusium nudis operiendis, largiebatur, S. Patris Augustini perfectus imitator & filius, nihil suum æstimans, sed totum commune cum fratribus. Quare, & S. Gregorij Magni vestigia secutus, cathalogum pauperum omnium pœnes se tenebat, vt singulis pro egestate succurrere posset. Tu autem, &c.

℟. Surrexit filius, &c.

In tertio Nocturno.

Lectio vij.

Lectio S. Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ Episcopi. *Concio 2. de S. Martino.*

VIdendum est secundò, cui eleemosyna fiat: non quòd merita pauperum discernamus. Intelligè, vt benè agas. Noli valdè discutere, cui agas: nàm etsi pauper malus sit, & ingratus, Deus propter quem eleemosynam facis, optimus est, & gratissimus. Malo benè agere, bonum est. Duplex ibi bonum, & geminata virtus: quòd & hominem alis & malitiam vincis: Deus solem suum oriri facit super bonos, & malos. Tu fac similiter. Non orabit pauper, si malus est: eleemosyna pro te orabit; sicut scriptum est: conclude eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa orabit pro te. Non te fallit pauper, si indigentiam simulat. Tu qui simplici animo donas, non diuiti, sed indigenti tribuis. Se ipsum fallit, si rapit. Mercedem tuam ipse non perdis. Tu autem, &c.

℟. Frange esurienti, &c.

Lectio viij.

VErumtamen etsi ita sit, volo te intelligere, cui præstes. Pauperum enim multę differētiæ sunt. Quidam fideles, quidam infideles. Præsta primùm fideli, iuxta dictum Apostoli: Maximè autem ad domesticos fidei. Quidam pro-

propinqui, alij extranei. Cęteris paribus, prius propinquo ſuccurre. Quidam boni qnidam mali, bono prius præſtandũ eſt. Quidam voluntarij, quidã coacti; Voluntario priùs, qui dignior eſt. Quidam pauperes, alij egeni; Egeno prius dandũ; quoniam melius eſt vitę ſuccurrere, quàm pudori; perſonam fouere, quàm honorem. Hinc multi falluntur, qui fameſcentibus & indigentibus neceſſaria tollunt, vt ſuperbientibus ſuperflua porrigant. Si fratris tui pudori ſuccuris, ne mendicare cogatur, benè facis. Nolo valdè diſcernas perſonas: nolo multùm honores ſæculi ponderes: vbi maior eſt neceſſitas, ibi proculdubio pecunia melius erogatur. Tu autem, &c.

℟. Sapientia, &c,

Lectio ix.

SI tamen virum ſanctum & indigẽtem reperire potuiſti, cui neceſſaria de tuis facultatibus tribuas, grandis tibi à Deo gratia fit. Libenter illum tuarum cõſortem aſſumito, vt tuarum particeps ipſe fias. Optima permutatio, temporalia pro ſpiritualibus commutare. Apoſtolum audi: veſtra abundantia, illorum inopiam ſuppleat, vt & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, & fiat æqualitas. Si enim tibi in temporalibus communicat, ipſo facto in eius ſpiritualibus ipſe communicas, & maiorem tribuit, quã recipiat eleẽmoſynam. Habet Deus vnde alat amicos; ſed propter aliorum incommodum eos patitur indigere: vt hac dati & accepti ratione plurimorum ſaluti melius conſulatur. Aliud etiam eſt Regis ſeruum, aliud amicum paſcere. Taceo, quòd Dominus notanter de fratribus dixerit: Amen dico vobis, quàmdiù feciſtis vni de fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Tu autem, &c.

Te Deum laudamus, &c.

Die 25. Septembris. Octaua S. Thomæ duplex.

Omnia sicut in die festo, præter ea, quæ subsequuntur.

Oratio.

DEus, qui Patrem pauperum B. Thomam Præsulibus in exemplum posuisti: presta, quæsumus, vt qui indigentibus opem tulit in terris, suis nos precibus iuuet in cœlis. Per Dominum, &c.

In primo Nocturno. Lectiones de scriptura currente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

PVellis egenis, pauperũ Pater Thomas dotem liberalissimè suppeditauit. Captiuis ex Maurorum iugo redimendis ingens litrum profudit. Infantibus exposititijs affectũ impendit, curamque verè paternam. Tria denique instituit & dotauit Collegia: ex quibus tùm probitate, tum doctrina præstantes plurimi prodiere. Insignem hanc pietatem pijssimus ille Dominus, qui est mirabilis in Sanctis suis, esse sibi acceptissimam miraculis plurimis confirmauit. Thoma enim pro indigentibus flagitante, vacuũ horreum momento temporis ita exuberauit, vt pr ę nimia grani affluentia fores neutiquam reserari potuerint. Aliàs qui paralysi laborabat annos quadraginta, in pedes simul se erexit, dum Sanctus Præsul signum sanctę Crucis super eum formaret. Tu autem, &c.

℟ Indicabo tibi, &c.

Lectio v.

INter mentis eleuationes, quas frequentissimè patiebatur sublimis ille cælestium contemplator, miraculosa prorsus fuit illa quando in ipsa ascensionis Dominicæ celebritate, diuino officio pręsens ad Antiphonam Nonæ: Videntibus illis eleuatus est, ipse quoque è terra sublatus, integro duodecim horarũ spatio prorsus immobilis, videntibus omnibus permansit.

mansit. His tandem multisquè alijs meritis plenus, in febrem incidit, & cum peculium omne in pijs vsibus consumpsisset, pauperrimam quoque supellectilem in pauperes partitus est. Oblitus autem cuiusdam Patris familias, cubile, in quó moribundus iacebat, ei donauit, iussitquè, vt auferret; se veró super storeā reponi. At renuentibus familiaribus, per Viscera Iesu Christi, cubilis vsum ad mortem vsque ab eo, cui donauerat, humillimè rogitauit, vt qui pauperibus totus vixerat, in alieno decedens, pauperrimus moreretur. Tu autem, &c.

℟. Solem suum, &c.

Lectio vj.

ORans itaquè, & vigilans, cum vltimum vitæ terminū intelligeret, exhilaratus, gratias egit, dicens! Lętatus sum in his, quæ dicta sunt mihi in domum Domini ibimus. In suo porrò cubiculo sacrosanctum sacrificium confici, & Dominicæ passionis Euangelium secundū Ioannem legi voluit: eoquè cū altissima contemplatione, audito, ac mira pietate & humilitate augustissimo Sacramento ad eleuationem adorato, præ gaudio ingētē vim lachrymarū profundēs inchoauit Canticū: Nunc dimittis: eoquè absoluto; In manus tuas, Domine, commēdo spiritum meum: Quæ cum diceret, expirauit ipso festo Natiuitatis Beatissimę Virginis, cuius dum viueret, amore languebat, annos natus octo, & sexaginta. Quem Alexander Septimus Pontifex Maximus magnis sicut ante, ita, & post mortem miraculis coruscantem, Sanctorū numero adscripsit ipso omniū Sanctorum festo; eiusquè memoriam annuam quartodecimo Kalendas Octobris celebrari mandauit.

Tu autem, &c.

℟. Surrexit filius, &c.

In tertio Nocturno.

Lectio vij.

Lectio S. Euangelij secundum Lucam. cap. 12.

In

IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Vendite quæ possidetis & date eleemosynam. Et reliqua. Homilia S. Thomę Episcopi. *Conc. 2. de S. Martino.*

TErtiò videndum est, quantũ tribuas. Eleemosyna quippe diuitibus non consilio monetur, sed pręcepto indicitur. Nã diues ille auarus in Euangelio dãnatur; non quia rapuerat aliena, sed quia propria non donauerat. Et in die iudicij non largientibus dicitur: esuriui & non cibastis me, sitiui, & non me potastis: ite maledicti in ignem æternum. Duritia hæc, & tenacitas sufficit ad gehennam. Quantum ergo dandum est pauperi? Audi Ioannem: qui habet duas tunicas, det vnam nõ habenti: & qui habet escas, similiter faciat. Dicet forsitan: dare medietatẽ multum est: sunt mihi vxor, & familia, quas nutriam: his omnibus medietas reliqua non sufficeret. Nolo ad ratiocinium tè adducere: fac sicut filio suo Tobias consuluit: quomodo potueris: ità esto misericors. Si multum tibi fuerit; abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri stude. Hęc fac, vt viuas. Tu autem, &c. ℟. Frange esurienti, &c.

Lectio viij.

SEd non tàm videndum quantũ tribuas, quàm propter quem & quomodo tribuas. Deus non respicit quantum, sed ex quanto. Vnde Apostolus: si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Non acceptantur à Deo opera, quæ propter ipsum non fiunt. Nouit Deus, qua intentione facias, quem finem prætendas. Admonet Dominus. Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te. Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Vide ergo, vt quidquid facias, purè & rectè propter Deum facias & in abscondito: vt Deus, qui videt in abscon-

abscondito, reddat tibi. Noli committere famulo tuo eleemosynas, ne hoc & ipse sciat: sed tu eas per te ipsum manu tua facito. Noli abominari pauperis illuuiem,& nuditatem eius ne abhorreas. Tu de manu tua illi præstato, & fortè cor m Deo amplius tibi ad præmium ex corde compassio, quàm ex bursa denarius reputabitur. Tu autem,&c. ℟. Sapientia, &c.

Lectio IX.

REstat vltimò videndum, vt quomodo tribuas, attendas. Non ex tristitia aut necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus. Animum Deus respicit magis, quàm donum. Quid ò Miser homuncio? quid affligeris, quid tristaris, quia nummulos tuos pauperibus erogasti? non erogasti, sed seminasti; amplissimos inde manipulos suo tempore collecturus. Thesaurizasti tibi thesauros perpetuos in cœlo. Eia igitur, fratres, arripite viam salutis: intelligite super egenum, & pauperem: vt, cum ipsi egueritis, intelligat Deus super vos. Non exspectetis, vt pauper prius suas necessitates enarret,& erubescat: nè erubescendo hanc ipsam eleemosynam promereatur, quam accipiet. Hilari animo priùs succurrite quàm robur petitionis accedat. Nolite expectare vt roget, vt instet vt erubescat. Sed vos eius indigentiam priùs intelligite, & præueniendo succurrite. Benedictus Deus, qui dedit vobis, vnde & alijs succurratis,& animas vestras redimere possitis. Tu autem &c. Te Deum laudamus, &c.

In secundis Vesperis octauæ S. Thomæ fit cõmemoratio Sanctorum Martyrum Cypriani, & Iustinæ.

Aña. Istorum est enim, &c. ℣. Lætamini, &c. ℟. Et gloriamini, &c. Oremus.

BEatorum Màrtyrum Cypriani, & Iustinæ nos Dñe foueant continuata præsidia: quia nõ desinis propitius intueri, quos talibus auxilijs concesseris adiuuari. Per Dominum.

MIssam, & Officia prædicta de Sancto Thoma à Villanoua Ordinis Eremitarum Sancti Augustini in die eius Festo, ac per Octauam ab vtriusque sexus Regularibus eiusdem Ordinis recitanda, ac respectiuè celebranda, Sacrorum Rituum Congregatio approbauit: ac ad vsum eorumdem Regularium imprimi posse concessit. Die 8. Iulij 1662.

I. Episc. Sabineñ. Card. Sacchettus.

Loco † Sigilli.

Franciscus Maria Phœbeus Sac. Rit. Congreg. Secr.